

Heinrich Rahn    Johannes Francke

## **Discursus Iuridico-Policus, De Legatis**

Rostochii: Kilius, 1644

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731853040>**


Druck    Freier  Zugang



Gesandte

H. Rahne (J. Franck) <sup>Vert.</sup> /c

R. U. nr 1644.



DISCURSUS  
JURIDICO-POLITICUS,  
DE  
LEGATIS,

*Quem*  
D. O. M. A.

In Academia Rostochiensi  
SUB PRESIDIO

*Viri Amplissimi, ac Consultissimi*

DN. HENRICI Rahnen/

J. U. D. Prof. Publ. & p. t. DECANI,  
Hospitis, Præceptoris ac Fautoris sui  
æviternum suscipiendi,

*Publicæ eruditorum ventilationi*

*subjicit*

*Fræncke*

JOHANNES FRÆNCKE

LUBECENSIS.

*In Auditorio Majori ad diem 28. Fe-  
bruarij horis matutinis.*




ROSTOCHII,

*Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.*

Anno M. DC. XLIV,

1644





Rduum licet Legationis munus sit, molestum nimis, periculosum, tædij laborisq; plenum. *Keychn. lib. 2. de Leg. c. 5.* nullum tamen ex omnibus Reip. muneribus, vel necessitate, vel utilitate, rerum causarumq; magnitudine ac varietate, neq; eorum, qui gerunt prudentia, consilio, splendore atq; amplitudine cum illo comparari potest. *Besold. disc. 1 c. 1. th. 2.* quippe quod nulla curiositas, nulla voluptas, sed sola invenit necessitas. *Paschal. de Leg. c. 6.* Intutum enim & valdè foret incommodum, si ipsi Principes toties congregedi, vel secreta Reip. literis committere cogerentur. *Conr. Brun de Leg. lib. 1 c. 2.* Unde cum ipsis Imperiis civitatumq; primordiis omnium gentium jure cæpisse constat. *Heider. syst. Pol. C 2.* Hanc ob causam ubiq; locorum Legati sacrosancti fuerunt habiti. *l. 8. ff. de ver. div. à Gucciardino lib. 5. Hist.* Oculi & aures regnorum salutantur; & egregiè Legatus à Poëta indigitatur:

*Vox Regum, Lingua salutis,  
Fœderis Orator, Pacis via, terminus iræ,  
Semen amicitie, belli fuga, litibus hostis.*

§. 2. Dicitur Legati à Legando, tanquam formà denominante *Unde dicitur Brautlacht. lib. 4 c. 3. §. 3.* Legare enim idem est, quod mandare, decernere, mittere. *Vatro lib. 4 & 5. de Lat. ling.* Legatos à Legendo dici putat, quasi publicè lectos, quorum operà consilioq; publicè uteretur Magistratus, seu quod idem, quia hoc ad officium non nisi optimus quisq; & solertissimus magno judicio legendus. *Heid. d. l.*

§. 3. Vox Legati vel Juridicè sumitur: Jure civili *in tit. ff. & C. de offic. Proc. & Cæsar. Præsidi* Legati nomen tribuitur. *l. 20. ff. de offic. Præs.* Jure Pontificio Legati à latere, Legati nati, Legati missi, *Varia vocis significatio.* *s. 1. de offic. Leg. & ibid. gl. in sext. c. statutum. de Rescript. in Sext.* verum cum penes hos & Jurisdicctio & Imperium fuit, huc non

pertinent: vel Politicè, p[ro] mandatario, publicè sine jurisdictione  
missio, adeò ut ne in familiam quidem & comitatum aliter, quam  
familiæ disciplina & correctio permittit, animadvertere possit. *arg.*  
*l. 5. §. 3. & l. 6. ff. ad L. Aquil.*

*Varia ap-  
pellatio-  
nes.* §. 4. Appellatur præterea & oratores, *l. 7. ff. ad l. Jul. de vi  
publ. Fest. lib. 23. Virg. lib. 7. Æneid.* Hoc tamen nominis illi potissi-  
mum convenit, qui caput & princeps legationis est *Kirchn. lib. 1. c. 2.  
n. 2.* sive ipse verba faciat, sive per alium fieri curet. *Heider. Pol. c. 2.*  
Ita Venetorum Legati ad Casarem & Pontificem missi, licet ipsi non  
perorarent, Oratores dicti. *Phil. Hon. tr. defad. int. Pont. & Cav.  
V. Budam* eos Legatorum inquit, Oratores vocari, qui deprecaban-  
di veniunt; sed confutatur ab *Alberic. Gent. l. 1. c. 2. de Leg. & Kir-  
chn. l. 2. c. 1. n. 11.* Vocantur etiam Interpretes, hodiè ministri ipsis Le-  
gatis linguæ interpretandæ gratiâ apud externos additi. *Kirchn. d.  
l. n. 12.* Nuncij. Ita *Livius. lib. 21.* eos, quos Oratores dixerat, mox  
nuntios appellat. Interdum tamen Nuncij & Legati sibi invicem  
opponuntur. Ut apud *Cic. ep. 1. lib. 15. Liv. lib. 3. & 29.* Tum qui-  
dem hoc discriminis inter ipsos, quod Legatus publicâ indutus au-  
thoritate; Nuntius non item: mittitur. *Alber. Gent. l. 1. c. 2. Re-  
sponales. c. salonitana. dist. 63. Apocrisiarij. c. conven. 1. vers. Item  
Petrus. q. 7. & c. significasti. de elect.* Caduceatores, à Caduceo &  
*Coriceo, l. 8. de rer. div.* id est baculo à Legatis gestari solito, habente  
ab utrâq; parte insculptos duos serpentes *Plin. lib. 29. c. 3. Pieri.  
in Hieroglyph. l. 15. c. 2.* quamvis caduceatores à Legatis differre, &  
ante eos mitti solitos doceat *Car. Scriban. Pol. c. 26. p. 397.* Gallis &  
Italibus dicuntur Ambassadors, ἀπό τῆ ἀμβαδύζων, quod mittere est.  
*Fran. le Fayer. c. 1. de Leg. Græcis κήρυκες, ἄγγελοι, πρεσβύται & c.  
le Fayer. dl. Germanis Gesandren. Kirchn. l. 1. c. 1. n. 20.* distinguit  
inter Gesandren vnd Abgesandren. Illos Legatos, hos privatorum  
Deputatos appellat.

*Quid sit*

§. 5. Definitur Legatus, propriè dictus, Mandatarius publicæ  
rei conficiendæ ab eo, cujus summa potestas, ad sui similem, hac  
quidem in parte solemniter missus. *Heider. syst. Pol. c. 2. Kirchn. l. 1.  
c. 1. n. 5. König. disp. 11. tb. 2.* Mandatarius est; quia mandatum  
gerendi publici negotij suscipit & accipit. & rejicimus remota illa  
genera, quibus utuntur *Varr. l. 4. de ling. lat. Gent. l. 1. de Leg. c. 1.*

*Var.*

*Varro* in *Orat. de Leg. Conr. Brun. de Leg.* 2. Solemniter mitti debet. i. e. eodem modo & ritu, quo semper & apud omnes gentes fieri solet. *Bodin. l. 1. de Rep. n. 163.* 3. Ad sui similem: intellige non quoad status eminentiam, sed jus Legandi.

§. 6. Legati alij sunt Togati, alij Bellici. Togati mittuntur vel *Quotupli-*  
ad armorum inducias. Sic unius anni induciæ, Papirio Dictatore, *ces sint. l.*  
Samnitibus datæ. Blemmiis & Nabadibus 100. annorum inducias  
à Maximino concessas narrat *Scriban. Pol. c. 26. p. 400.* vel ad pacem  
componendam. Romanos pacem per Legatos sæpius tentasse, ut  
sanctius inde ad bella tanquam Justa profilirent, infinitis constat  
exemplis. Potior enim semper cum Scipione & Fabio cura inte-  
gritatis suorum, quam hostilis sanguinis esse debet. Unusc. civis  
melior mille hostibus. Legati Bellici ablegantur vel ad hostilia ar-  
ma mutuò provocanda. Ita Tiberius Orientis Imp. auro Longo-  
bardos conatus est in mutuum provocare ferrum. Feliciter etiam  
Justinus per Zemarchum Legatum, Difabulum Turcarum Ducem  
in Persas impulit. Et Justinianus Hunnos in Hunnos impellens,  
illorum potentiam fregit, suam firmavit. *Scribanus d. l.* Vel ad arma  
denuntianda. Hoc munus qui obibant antiquitus Fæciales erant.  
Mittebantur enim, prius quam conciperetur bellum, ad res repe-  
tendas, & si non impetrassent, bellum indicebant. Maximus eo-  
rum dicebatur Pater Patratus, vide sis *Dionys. lib. 2. Pomp. Lat. c. 9.*  
*de sacerd. Rom. Rosin. lib. 3. c. 2. de antiq. Rom.* in illorum locum  
apud Germanos Heraldos, *Die Herolden* successisse, autumat *Æne-*  
*as Sylv. Ep. 126. & ex eo Budæus. ad. l. 7. de rer. div.*

§. 7. Legati mittuntur vel honoris gratiâ: ut, si de nuptiis, de  
puerpetiis, de victoriis, de successioneibus, aut electionibus in Princi-  
patu, de recuperatâ valetudine gratulamur. Item solatiij & gratiæ  
referendæ ergò, exempla apud *Liv. lib. 29. Tac. lib. 4. Annal. Alb.*  
*Gent. l. 1. de Leg. c. 7.* vel certi negotij gratiâ: ut, si contrahantur  
matrimonia, &c. *Heider. Pol. c. 2.*

§. 8. Legati vel Temporarij, qui rebus confectis domum re-  
deunt, vel perpetui, qui diu in aulis Principum morantur. Tales  
fuère Imperatorum ad Portam Ottomanicam. Quia verò hi non  
ex jure gentium, sed ex singulari pacto mittuntur ( fieri enim  
nequit, ut quis diu in alterius regno resideat, *l. 4. C. de commer. &*



mercat. Dn Werdenhag. Pol. lib. 3. c. 7.) quidam Legatos hos esse negant, & Agentes, seu residentes dici malunt. Kirchn. lib. 1. c. 2. n. 19. & seqq. sed in lente unguentum.

IV. & V. §. 9. Legati vel sunt Principum, vel Rerumpublicarum, dignitate quidem non jure Legationis differentes. Kirchn. d. l. n. 15. Legati deniq; vel Liberi, vel Formularij. Alb. Gent. lib. 2. c. 3. Liberi, nullâ præscriptâ formulâ liberam agendi potestatem habent, quicquid ex usu mittentis fuerit. Ita Phanceas & Democles missi ab Ætolis ad Romanos. Halicarn. lib. 2. Hodiè usitatissimum Legandi genus, ubi Principes chartas vacuas suis nominibus subscriptis Legatis tradere solent. Heider. hic. Idq; à Carolo Burgundiæ Principe sapius factitatum è Comineo testatur Kirchn. d. l. n. 32. Formularij verò certas formulas, certaq; mandata, quorum ad præscriptum gerenda sunt omnia, efferre, & has extra metas evagari non debent. Alias, si quæ sunt, divisiones, cum magni momenti non sint, tacitus prætereò.

Qui mittere vel nõ possint. §. 10. Jus mittendi Legatos ut ex definitione patet, eorum tantum est, qui sunt ἀντιπρόσωποι, quiq; superiorem, qui illud impedire possit, non recognoscunt. Bod. lib. 3. de Rep. c. 6. Hinc rectè illud denegatur faminis, penes quas imperium non est, per l. 2. ff. de R.I. Clericis quâ clericis gl. in c. 24. q. 1. & c. quoniam. dist. 10. Pupillis, Heider. d. l. Academiis, Authen habita Cod. ne filius pro patre. Rebellibus nam delinquendo nemo sit pretiosior. l. 63. ff. ad l. Falcid. prædonibus ac Peiratis. Alb. Gent. lib. 2. c. 8.

Principes Imperij Legatos ad externos possunt §. 11. De Principibus verò Imperij, de Comitibus, qui ἀπρόσωποι imperio subjecti, & de Liberis Civitatibus aliud sentiendū autumant Kirchn. d. l. Arum. ad A. B. disc. 1. sb. 8. Besold. de Leg. c. 3. n. 3. Paschal. c. 11. & 13. Illi enim Imperatori quidem obstricti sunt, & ad Comitibus, cum Imperatori status summi infimiq; pareant, eumq; dominum suum Clementissimum nominent, in Recessibus Imp. non Legatos, sed nuntios Botschafften / Bewalhaber / vnd Abgesandten passim mittere dicuntur. Arum. de Com. c. 5. n. 53. Attamen, cum indulta sibi habeant multa regalia, ad Exteros rectè mittunt Legatos.

Etiã Civitates Hanseaticæ. §. 12. Civitatibus Hanseaticis, quâ Hanseaticis hoc juris de negatur à Kirchn. l. 1. c. 3. n. 56. Verùm idcirco virgulâ censoriâ notatus est ab Arum. Vol. 1. Disc. 14. de jur. Publ. sb. 8. & Wurmsero, EXERC.

*Exerc. 4. q. 6.* Belligerandi enim jus illis competit, *ex Recess. Imp. Anno 1655. 66. §. die Havn vnd Seestädte. 582. §.* Wir wollen danebē. 594. deßgleichen die freyen. Item fæderis ineundi. *ex A. B. tit. 15. Proinde & Legatio, sine quâ neq; bella, neq; fædera expediri possunt, arg. l. 2. ff. de Jurisd. l. fin. de offic. ejus cui mand. est Juridict.* Quid? quod civitates Hanseaticæ immemorialis temporis præscriptione se defendant, earumq; societas magnam partem ex Liberis constata sit. Nec obstat, quod huic collegio municipales quædam civitates incorporatæ sunt. Dignius quippe trahit ad se minus dignum. *Bald. in l. 2. pr. C. Comm. de leg. & multa procedunt alijs conjuncta, quæ non procederent, si ab his separata essent. Gail. lib. 1. Obs. 30. n. 23. Calculum adjiciunt huic sententiæ Dan. Otto de Jur. Publ. c. 14. p. 363. Besold. de Leg. c. 3. n. 3. Rasch. de Leg. th. 25. ad quos lectores Philoſophicis remissos volo.*

*§. 13.* Duobus præsertim modis Legatos reperimus solitos designari. Sorte sc. & suffragiis. De primo genere elegans olim inter Priscum & Marcellum apud *Tacit. lib. 4. Histor. concertatio: & vicit ea pars, quæ sortiri maluit. Confirmant hunc morem Dion. lib. 59. & Cic. ad Att. ep. 17. lib. 1.* Deligendum verò esse Legatum, unde nomen accepisse Varro sentit, ut dictum *§. 2. & accurate quidem Judicio deligendum censeo, quippe non infrequenter in Legati prudentiâ & moderatione cardo salutis publicæ vertitur. Heider. hîc.* Non sorte ducendus, nisi Resp. multos habeat præstantes viros, qui hoc obire munus possint, & nisi delectus aliquid intestinæ discordiæ, quod in Aristocratiis & Democratiis fieri consuevit, pariturus sit. *Alber. Gent. lib. 1. c. 10.*

*§. 14.* Sit igitur is, qui ad Legationis functionem adhiberi debet, animi, corporis, fortunæq; bonis per cæteris conspicuus; ita, ut in suâ mittentis personam exprimere valeat. *Arum. de Com. c. 5. n. 53.* Ex misso enim de prudentiâ Principis, de integritate consiliariorum, de dispositione Senatus & aulæ judicium apud alios oritur. *Ant. de Guevar. lib. 1. c. 43. in Horol. Princ.* quapropter Carolus IV. ad Comitia Electoralia nuntios Legales *§. Princeps vero Elector. 2. 3. A. B. & Maximilianus I. ad comitia generalia, primi subsellij consiliarios, treffentliche Vortschaffren* mitti voluit. *Recess. 1512 §. Es sollen auch die Chursürsten &c.* Sit expedito ingenij acumine, judi-

*Quinam  
mittendi.*

*Animi de-  
tes in Le-  
gato.*

judicijq; dexteritate à natura dotatus. *Dur. de Pafe. in aul. Pol. n. 43. & 50.* Sit accuratà in disciplinis practicis, in Jurisprudentia, in Historiis præsertim, eruditione præditus. Sit exquisitâ deniq; scientiâ Reip. tam nostrâ, tum alienâ, notitiâ Principum & populorum, eorum maximè ad quos mittitur, & summam multiplici prudentiâ instructus. *Heider. hie.* Præpropera autem ingenia à Legationibus atcenda: ignes hæc regnorû injiciunt testis, & ferro propiora quam paci. Arcenda etiam tarda nimis & lenta ingenia, quæ limacum more, mille spiris, rectum & breve iter fatigant, & ignavo ductu signant, *Carol. Scriban. Pol. s. 26. p. 430*

*Virtutes.*

§. 15. Primam in Legato, post veram sacramq; Pietatem, virtutem facimus Fidem, jam ante Principi notam, non in ipsa Legatione noscendam, *Scriban. d. l. p. 408.* Princeps enim se ipsum & omnia sua Legato committit, in turpissimis igitur fuerit, si fallere ipsum, legationemq; loco aureæ messis habere velit. *Alber. Gentil. lib. 3. c. 11.* Secundam, Silentium: quia Legationis salus à silendis pendet, & à secretorum firmâ custodiâ. Magna Legati virtus est, premere silenda posse. Nulli Regnorum Rerumq; publicarum arcana credat Legatus, nisi oculis manibusq; suis. *Scriban. dl.* Succedunt Fortitudo, Constantia, & Patientia, in superandis viarum difficultatibus, in adæundis laboribus, periculis, in tolerandis, si opus sit, injuriis, & ipsâ morte oppetendâ. *vide 9. Philip. Cic. Alberic. Gent. lib. 3. de Leg.* Temperantia quoq; ne per ebrietatem inconsideratè rem gerat, ne autoritatem suam prostituat, ne fortunam eandem cum Legatis Persarum apud Macedonas experiat. *Herod. in Terpsich. Gent. d. l. c. 13.* & quæ reliquæ sunt virtutes.

*Et h.*

§. 16. Ex dictis facile colligere est, nec adolescentulos, nec senes decrepitos, sed viros ætatis provectioris, eosq; ad senectutem propinquiores, huic muneri esse præficiendos. Hi usu multa didicerunt, suasq; cupiditates in gyrum rectæ rationis ducere possunt. Interim vel jungi senibus, vel etiam mitti juvenes possunt, si prudentiâ & omni virtutû genere vel ipsos superant senes, *Vernul. lib. 2. Pol. s. n. s.* plerumq; enim ingenio sunt perspicacior, quam senes. Nec ineptum illud Galli ad Solimannum, qui minorenes ad se missos stomachabatur, responsum: *Non esse ex barbâ virum, nec ex piloso mento mentem hominû judicandam.* *Kirchn. l. 1. c. 4. Fr. le Fayer, l. 1. c. 2.*

§. 17. Gra-

§. 17. Gratum omnibus Legatum faciunt, barbaris imprimis: Corporis Pulchritudo, non muliebris, sed virum decens. *Dur. de Pasc. in aul. bona. Pol. n. 43.* Incessus moderatus, gestus decorus, frons læta, ridentes oculi, vultus ad temperatam hilaritatem compositus, Oratio matura, & quæ virum suum loquitur, blanda & suavis. *Scrib. d. l. p. 433.* Justa deniq; statura. *Heider. hic.* His excluditur Pygmæus, pumilio, Nanus, Polyphemus quispiam, arator potius quam orator: quo dicitur elusum quendam apud Stephanum Poloniæ Regem scribit *Varseyit. de Leg. & ex eo Kirchn. lib. 1. c. 4.* Nam illi risui & contemptui aliorum sunt expositi. Ita, cum Jacobus de Castello JCrus Bononiensis ad Bonifacium Pontificem missus homo pusillæ staturæ de rebus magni momenti stans verba faceret: Pontifex Legatum genibus incumbere existimans, jussit ut surgeret, & in pedes erigeretur, non sine astantium risu. *Kirchn. d. l.* Absint quoq; ventriosi, qui plus flere, quam orare sciunt. Retineantur domi, qui insigni aliquo vitio s. à naturâ s. infortunij casu laborant. Juxta illud. *Caveas ab illis quos Jupiter ipse signavit.*

§. 18. Familiæ & facultatum ratio in eligendo Legato omnino *Fortuna bona.* observanda est, quanquam enim paupertas per se neminem suspectum facit. *l. 3 ff. de susp. rus.* tamen populari judicio locupletibus plus fidei quam inopibus habetur, cum hi lucri causa facilè quid admittere credantur, *l. 3. pr. ff. de test.* Exemplo sint Romani, qui semper nobilissimos & honoratissimos viros Legationes obire vulerunt. *Magius lib. 1. de Leg. c. 1.* Nec falsus est Hannibal, qui apud *Livium lib. 30.* Romanos quibusdam, inquit, pacem denegasse, quia parum dignitatis in Legationibus fuerat. *Fr. le Fayer. lib. 3.* Facessant itaq; à Legationis splendore sordidorum cerdonum *lex. l. 6. C. de dign.* qualis Olivarius tonsor, à Ludovico, XI. Galliar: Rege missus. *Comina. lib. 4.* pronum illud ad lucrum & turpiter faciendum genus. *l. 44. ff. de Edilit. edict.* Institores, negotiatores, *d. l. 6. C. de dig.* infames, *l. 1. C. de Infam.* debitores Reip. ex administratione, *l. 6. §. 1. de mun. & honor. l. 1. a. prin. de legat. l. 1. C., de debitor. Civit.* qui jus postulandi non habent. *d. l. 4. §. ff. de Legat.* Judæi deniq; *l. ult. C. de Judæis.*

§. 19. Allaborandum, ut Persona quæ mittitur, gratiosa & ac- *Autoritas*  
cepta sit illi, ad quem mittitur. *Brantlachs. lib. 4. Jur. Publ. c. 3. v. 7. & grama.*

B

Nam

Nam ubi alienior mens à Legato est, ne quicquam felicem exitū speres; exasperandis non componendis animis hic natus est. *Scriban, Pol. c. 26. p. 450.* Diomedes ita ab Antipatro *Plutach. in Phoc.* & Pelopidas ab Alexandro Phareo. *Polyb. lib. 8* occisi sunt. Conciliatur autem gratia, necessitudine sanguinis, meritis & beneficiis, communi educatione, commilitio, notitiā linguæ, quæ in usu apud ex-cipientes &c. *Heider. hic.*

§. 20. Legatus mas sit, non femina. Illa enim à foribus omnium civilium, publicorum, & virilium officiorum repellitur. *l. 2. ff. de R. J. eamq; inter viros versari naturalis prohibet pudor. l. 14. C. de conty. & comm stipul. quid? quod mulierem neq; postulare, neq; procuratorem agere lex patiat. Ulp. d. l. 2. ff. de R. J. l. 1. §. 5. de postulan. multo minus Legationis omnium gravissimam provinciam sustinere. l. 4. ff. de Legat. quid? quod etiam adversus propria commoda muliebri laborare consilium Imperatores scripserint. l. 4. C. de spons. quid? quod lubricum linguæ cum silentio, & momentaria voluntas l. 20. C. de inoff. test. cum constantia & fide, metus & imbecillitas cum fortitudine Legatorum non consistat. *Kirchh. l. 1. c. 4.**

*An recusa-* §. 21. Delatam sibi Legationem recusare nemo bonus potest, *re possumus* nisi vel imparem se huic muneri probaverit. *Dur. de Pasc. in aul. Pol. n. 41.* aliumve potiozem ostenderit *l. un. C. de pot. ad mun. nom.* Sin verò causas sufficientes non allegabit, quin & cogendus, ut suscipiat, *Vernula. lib. 2. r. 6. n. 5. Mag. l. 1. c. 2.* quia munus personale est, ad quod invitus quispiam cogi potest. *l. 9. ff. de mun. & hon. l. 4. §. 5. ff. de legat. Cic. 2. offic.* Excipe tamen Legatos Provinciales, qui Legatione ex ordine funguntur. *l. 4. §. 5. ff. de Legat.*

*An plures* §. 22. Legatus plures simul Legationes obire nequit. Nam non *obire possi-* est in Legatione, ut in comœdiis, ab uno eodemq; homine plurium *mus.* persona induenda, agendaq; *Horom. h. l. c. 3.* & impossibile est, plura simul facere, & omnia prudenter ac feliciter expedire. *Alber. Gent. lib. 2. c. 22.* Nec satis honorificum utriq; parti, sed πειχῶς sordiditiei, paupertatis aut parsimonix signum est *Heid. p. 476.* In comitiis tamen unus Legatus plurium statuum inferiorum vices sustinet. *Besold. disc. de Legat. c. 4.* sumptus ergo & itineris ratio interdum contrarium suadet, *l. 16. ff. de Leg. Dn. Præcept. mem Sigism. Fichle-*

*rus Disp. de Leg. tb. 13. in fin.* Aliena quoq; negotia suscipere Legatum minimè decet. *l. 8. ff. de Leg. & antequam Legatione functus est, ne quidem in rem suam agere potest, exceptis his, quæ ad injuriam ejus vel damnum parata sunt, l. 10. ff. de Leg. quæ moram non patiuntur, ut res pupillorum. l. 11. ff. hinc. quæq; impedimento Legationi non sunt. Ut emere domum. l. 12. ff. eod. Wesenb. hinc.*

§. 23. De Legatorum numero comitatuq; certi nihil affirmâ- *Quot mitte*  
rim, quam quod cum pompâ (modicâ tamen) omnis instruenda sit *tendit,*  
Legatio. Modicâ dixi, ne Legiones potius quam Legationes mittere videamur. Hungari, ad Fridericum III. Imp. tres Legatos comitumq; tria millia mittentes, suspensionem effugere non potuerunt, quin Imperator dolum subesse ratus, non nisi unum Legatum ducentis cû equitibus, reliquis exclusis omnibus, intromitteret, *Bonfin. l. 10. decad. 11.* Plures tamen mittere, quam justò pauciores magis ex dignitate est, tum mittentis, tum ad quem mittatur, quippe pauciores vel hujus contemptum, vel illius incuriam aut egestatem arguunt. *Heider p. 477.* Romani ternos, quaternos, quinos, denos mittebant. Vespasianus tres mitti jussit, *l. 4. §. 6 ff. hinc.* Centum milli gratulatum ad Severum Imp. *Spartia. in vit. Sev.* Centum etiam missos ad Alexandrum à quibusdam Indiæ populis *Curtius* auctor est. *Lib. 9.* Numerus autem ille, aut ipsorum Legatorum est, qui collegæ Legationis, aut Comitum. Hi partim pro satellitio & ministerio, partim numeri, majorisq; pompæ gratiâ adjiciuntur. Si quisquis sit Legatorum numerus, unum tamen principem & caput reliquorum esse oportet. Reliqui, si unus Legationi sufficere posse non videbitur, consiliorum participes sint. Ne verò dissentiant, alterq; despiciat alterum, jungendi sunt, aut qui pares aut quibus invicem nihil ambitionis, aut æmulationis. *Heider d. l. 478.* Cavendum insuper Legato ne impuros, parasitos, fures, nebulonumq; manipulos secum trahat, cum etiam eorum delicta in Legatum redundent, non secus ac propria commissa. *l. 24. ff. de Judiciis l. 4. §. 2. ff. de offic. proc.* Adjungat potius illos, qui aliquando ipsi partem Reip. sunt gubernaturi. *Ad Conzen. l. 7. Pol. c. 8.* Quo artificio Romani, suam juventutem, cum Legatis ad omnes propè terrarum tractus mittentes, prudentissimos cives nacti sunt, *Dr. Pichler. disp. de Leg. tb. 14.* Sicq; Legatio seminarium prudentiæ & Magi-

Aratus, & publicorum officina consiliorum esse potest. *Besold. d. l. c. 4. n. 12.* Uxorem Legatus secum non habeat, si Legatio temporaria, si perpetua concedi posse videtur, *Vernul. lib. 2. Pol. 8. 6. n. 3. & Car. Scriban. p. 458. & seq.*

*Quomodo  
mittendi.*

§. 24. Solemniter mittendos esse Legatos ex definitionis lumine clarescit. Solemnitas autem illa partem in missionis formâ partim accidentibus consistit. *Brantlach. lib. 4. Jur. Publ. c. 3. n. 11.* Ad formalem solemnitatem pertinent. 1. Mandatum, & mandati literæ; attestantes sc. quod ea, quæ Legatus publico nomine peregerit, rata, & grata Princeps sit habiturus. Sine his Legatus ut & Procurator non admittitur, nec auditur, *l. 1. C. de Jure fisci. l. 1. C. de mandat. Princip.* quod usq; adeò verum est, ut, si fortè literas itineris casu amiserit, sine illis admitti non debeat. Gravissimum enim Legationis negotium est, ac res majoris periculi, eapropter diligentia ac cautionis plus requirit, secundum *c. ubi periculum. de Elect. in sex.* Volunt tamen, egregiis ac primâ nobilitate viris, si eorum virtus & integritas nota sit, etiam sine literis credi debere, cum propter missi dignitatem, tum maximè ob mittentis honorem. Quod non tam juris, quam facti est, *Kirchn. lib. 1. c. 7. n. 14. & c.* Mandata alia definita, quæ certi negotij expediendi modum limitesq; præscribunt: absoluta alia, quæ plenam Legatis, quibuscunq; de rebus velint, agendi potestatem faciunt. Modo non paciscatur turpia, illicita, Reip. exitiosa. *Heider p. 482.* Jure meritòq; Sen. Rom. M. Clod. quod turpem fecisset pacem, hostibus dari, & ab iis non acceptum in carcere necari jussit. *Valer. Max. lib. 7. c. 5.* Medium mandati genus est, cum talis, vel similis clausula adjicitur: reliqua committimus tuæ prudentiæ & discretioni, *Gail. lib. 1. de Pac. publ. c. 4. n. 30.* Datur & ambiguum mandatum obscurioribus verbis, ut non intelligi possit, si forsan interceptiatur, conceptum. Tale conficitur cum majoris momenti pacta inveniuntur. *Vern. lib. 2. 1. 6. n. 4. Varssev. Orat. de Leg.* Mandata sunt vel scripta, vel secretò concedita. Licita vel illicita, in illicitis principi parere Legatus non tenetur. *Seeph. Jun. tr. de vind. tyr. q. 1. & Jure Maj. q. 3. l. 27. §. 4. ff. de pact. l. 26. ff. de verb. obl. c. non est. in 6. 2.* Literæ instructionis, olim commonitorium dictæ, quæ nihil aliud sunt, quam quædam mandati explicatio, quæ Principis voluntatem vel extendit, vel

vel restringit. *Vernul. lib. 2. Pol. 1. 6. n. 3.* 3. Literæ commendationis quæ petunt, ut Legatus modo locoq; quo par est, habeatur, & tractetur. 4. Literæ, denique fidei, quas credentias vocant, ut ne de Legati fide dubitetur vel orant, vel postulant. *Vern. d. l.*

§. 25. Accidentalem vocamus solemnitatem habitum, ritus, & ceremonias à Legatis adhiberi solitas. Veteres Romani Legatis præter viaticum i. aureum annulum largiebantur. *Alber. Gent. lib. 1. c. 1.* Annulum illum gerebant in publico, sed domi non nisi ferreo utebantur, teste *Plin. lib. 33. c. 2.* 2. Legati s. Fæciales, si mitterentur, sagmina, seu gramen, herbam puram & sacram, s. verbenam, unâ cum terrâ adhærescente, in capitolio vulsam, qua solebant coronari, secum ferebant. *1. 7. §. 1. de ver. divis. & Liv. lib. 22. c. 2. 3. Ve-* lati erant filolaneo, *Liv. lib. 11. Rosin. l. 10. antiq. Rom. Gentil. lib. 1. d. Leg. 4.* Frondes oleæ & lauri ferebant, præsertim si pacem peterent, *Virg. l. 7. Æneid.* 5. Silices secum habebant, quorum quis fuerit usus *ex Liv. lib. 1. c. 30. Gent. lib. 1. c. 11. Virg. l. 8. Æneid.* prolixè docet. *Heider. p. 485.* 6. Fæcialis secum efferebat hastam ferratam aut sanguineam, præustam, & indicto bello in hostium fines mittebat, *ex Livio Alber. Gent. lib. 1. c. 10.* 7. Induti erant sacrâ stolâ. i. e. veste angustiore & purpureo. *Dionys. lib. 2. Appian. in select. Gent. lib. 1. c. 18.* ut in itinere statim agniti minus injuriis essent expositi *ex Xenoph. lib. 8. de expos. Cyr. Heider. pag. 468.* 8. Græcorum Legati ferebant *κρουκία* s. caduceos, de quibus §. 4.

§. 26. Viatico, Mandatis, reliquisq; adminiculis Legatus satis instructus, iter maturet, properet, festinet, volitetq;, *l. 16. ff. de curs. lter. publ.* quam celeritatem Mercurij alis & talaribus Poetæ designant. Capite mulctatos Rhodiorum Legatos, quod die dicto non abissent, auctor est *Cicero lib. 2. de Invent.* neque illi culpam effugere poterunt, qui sine necessariâ causâ moram nectunt. *l. 1. l. 2. ff. hie. l. 2. C. eod.* quin potius imitentur *Serv. Sulpitium*, quem non vis hie-mis, non nives, non itineris longitudo, & asperitas, non morbus in-gravescens retardavit. *Cic. 9. Philipp.* Viâ incedant consueta & regi-â, non insolita. *l. 4. §. 5. ff. de offic. proc.* quia sanctissimo Legatio-nis munere indignum est, occultè iter ingredi. *Carol. Paschal. c. 23. de Leg.* & latebras ignorat Legatio, palam ambulat, apertoq; velo amat agnosci, aspici, salutari. *Arume ad A. B. disc. 1. 1b. 22. Clan-* deli.



stinus quoque introitus in aliena regna suspectos reddit. *Fr. le Fay. c. 9. lib. 4.* Athenienses Legatos suos in Arcadiam missos, quod insolitam per viam iter habuissent., capite plectebant. *Ælian. lib. 5.*

Exceptio

§. 27. Omnium gentium nationumq; moribus receptum, atque adeo barbarorum quoque institutis approbatum est, ut exterrorum Legati, præsertim si amici sunt, honorificè excipiantur. *Kirch. l. 2. c. 2.* à nonnullis gentibus obviam ijs itum cum splendido comitatu, qui eos exciperet, *Valey. Maxim. lib. 5. c. 1.* Mos in hunc usque diem usitatus. *Heider. p. 489.* Romani hoc officij Quæstori urbano demandabant. *Plutarch in Problem.* qui eos cum quibusdam Magistratibus Romam deducebat. *Alex. ab Alex. gen. diæ. lib. 2. c. 2. Liv. decad. 5 l. 5.* Nos in genere asserimus pro mittentis & ejus ad quem missi, conditione & qualitate excipi debere Legatos cum *Vernula. d. l. 1. 7. n. 1.* honos namque hostium & municipalium, non æquè ac Regum aliorum amicorumq; Legatis habetur. *Dn. Picbl. disp. de leg. th. 17. Brun. lib. 5. c. 6. Gent. lib. 1. c. 16.* Quin & vir prudens aliquis Legato adjungendus, qui simulandi dissimulandiq; artem callet, ut se in amicitiam ejus insinuans, sagaciter exploret ejus consilia ac arcana. *Vern. d. l. 1.* Id à Romanis sapius factitatum testatur *Appian. de bell. Mithrid.* moremq; probat. *Hottom. c. 4.* Et Maximilianum II. varijs modis Legatorum animos abditosq; sensus sollicitasse & extorsisse *ex Varsev. d. Orat. narrat Kirch. lib. 2. c. 2.* quæ tamen diligentia non debet esse nimia, ne in compedibus detineri & carceri inclusi videantur, quod sibi in Legatione Turcicâ obvenisse conqueritur *Auger. Busbeq. lib. de ead. conscript.* Commodissima ijsdem apud veteres assignata fuere hospitia, eaque publica. Testis est *Demosthenes in Orat. τῆς πρεσβείας* Xenochidem Poëtam, quod missos ad Philippum populares suos Atheniensium Legatos privata domo excepisset, urbe pulsam fuisse. Hodiernis etiamnum moribus magnorum Principum Legatis hospitia præberi solent. *Brun. lib. 5. de Leg. c. 6.* Commeatus quoque, & copia rerum necessariorum olim fuit subministrata. *Alber. Gent. lib. 1. c. 16.* Interdum si minus grata persona, parum honorificè excipitur, nec liberaliter tractatur, *Heider. d. l.*

Interdum  
Bio,

§. 28. Legati, præsertim hostium, non semper in oppidum recipiebantur, sed interdum extra urbem in æde Bellonæ, vel Herculis,

vel

vel Apollinis, vel alijs in Basilicis & Peregrinorum Deorum tem-  
 plis subsistebant. *Gent. lib. 1. c. 15. Rosin. lib. 1. Antiq. Rom. c. 14. Arnif.*  
*lib. 2. de Rep. c. 6. f. 3. n. 74.* Ita Carthaginensium Legatis Senatum ad  
 ædem Bellonæ bis datum scribit *Liv. lib. 20.* Bituitus Avernorum  
*Flor. Epitom. 71.* & Pirrus Epirotarum, Reges *Idem 13.* ingressu pro-  
 hibiti. Nonnunquam prorsus non admittebantur, sed in malam  
 rem abire jubebantur. Sic Carthalo nobile Carthaginensium  
 Legato licet obviam missus, qui eum ante noctem finibus Roma-  
 nis excedere juberet *Arnif. d. l. Circejsium Legatis*, qui se purga-  
 tum Volsci crimine belli venerant, denunciatum fenatus verbis;  
 facerent propè ex urbe, ab ore & oculis populi Romani *Liv. l.*  
*5.* Plura apud *Dionys. Ammian. Herod. Thucididem, aliosq; Gentil. lib.*  
*2. c. 1.* quæ exclusio & hodiè in usu est, & si justis gravibusq; nititur  
 causis, ne quicquam jus gentium violatur, sed æqua est. *Petr. Herod.*  
*rer. judic. t. de Legat. t. 1.* Jure enim licitum, ut, quod nobis frau-  
 di, detrimento, dedecori, exitio ac periculo futurum, repellamus  
*arg. l. 3. ff. de Just. & Jur. l. itaq; l. scientiam s. qui cum. ff. ad L. A-*  
*quil. l. u qui. l. si quis per percuss. 3. C. ad l. Corn. de Sicar. gloss. &*  
*DD. ibid.* quod si interditi redeunt, mulctare. *l. 7. ff. hic. viq; ir-*  
*ruentes vi repellere licet. d. l. 3. ff. de l. & Jur.* modò expressè decla-  
 rata & ostensa exclusionis causa sit *Kirchn. d. l.* aliàs violatio juris-  
 gentium & regulariter dolus præsumitur. *l. si non convitiis. l. de in-*  
*jur. l. 1. C. ad l. Corn. de sic. t. 1. ext. de præsumpt. Zeanatt. defens.*  
*trisp. part. 2. n. 79.*

*Suppellex*

§. 29. Legatus omnis generis vasa, & instrumenta secumferat, *Legati &*  
 quæ vasa suppellex dici solita; quasi à degentibus sub pellibus s. *Penus.*  
 tentorijs, id est, Legatis & militibus usitata *l. 7. pr. de suppell. leg.*  
*Heid. pag. 491.* Hujusmodi suppellectilis splendor ac magnificen-  
 tia omninò observetur, ne in Legatum quadret illud *Ciceron. in Pi-*  
*son. nihil apud hunc lautum, nihil elegans, nihil exquisitum. Kirchn. d.*  
*l. c. 3.* A Legati culinâ absit tùm sordes, tùm luxus. Nec pror-  
 sus sit abstemius, sed quæ nunc tempora, qui mores sunt, aliquantu-  
 lum bibulus. *Heider. 492.* Ideoque norit pocula *σωτήρια & Φιλο-*  
*ψία* ebibere. Sed ita tamen ne per ebrietatem deliret, ne arcana  
 proferat, ne, si choreæ ducendæ, cum Hipoclide sui muneris auto-  
 ritatem successumq; defalter. *Herod. lib. 5.* Convivia interdum lau-  
 ta &

Admissio  
& Intro-  
ductio.

ta & oppipara instituat, ne satyricum illud de sese dici possit. *Alie-  
maz pocula sicca, Nemo tua, aut reddevices, aut desine velle vocari.*

§. 30. Princeps maturè Legatos admittat, juxta tritum: Bis dat, qui ritò dat &c. Peccavit hac in re Demetrius, qui integrum per biennium secum Atheniensium Legatos detentos tandem re infectâ dimisit. *Plutarch. in Demetr.* Peccavit Lygdamus Tyrannus, quî Spartanorum Legatis, va'ijs causationibus colloquendi copiam denegavit. *Plutarch. in Lacon.* Nisi fors Reip. salus differendam Legationem suadet. *Car. Scriban. p. 463.* Factum à Persis, qui pacificatorios Romanorum Legatos blandioribus verbis satis diu re-remoratisunt, donec propugnacula erigerent regno firmando. *Procop. lib. 2. de bell. Persic.* factum à Sapore Persarum Rege, tenuit ille Valeriani Legatos, arma paravit, abeuntes armatus securus, *Scriban. d. l.* Justinus etiam Imp. Cunimundi Gepidarum Regis Legatos dilatione ac procrastinatione, *Menandro teste*, traxit. Differenda proinde aliquando Legatorum admissio, ac celerenda aliquando, quod ferè prudentiæ relinquendum. Apud Romanos quomodo admissi, videre est *ex Petr. Erud. rer. Judic. t. de Leg. c. 1.* Introductio ad audientiam honorificè instituenda. Romæ vel à Consule, vel à Pratore s. Urbano s. peregrino, vel à Dictatore, & Magistro equitum in Senatum introducebantur. *ex Polyb. Liv. Joseph. Alb. Gent. lib. 1. c. 19.* In castris Legatos audivère, *Alexander, Galli, veteresq; Germani, Liv. lib. 21.* Turcæ Legatos brachijs utrinq; prehen- sis, ne commovere se possint, introducunt, cui curiositati occasio- nem præbuit Servulus Georgi Despotæ Serviæ, qui domini eadem ulturus Amurathem interfecit *Philip. Levvencl. Honning. aliq.* Inter- dum Principes Legatis extra pallatium occurrunt, venientibus assur- gunt, caput aperiunt, operti capitis licentiam indulgent, dextramvè porrigunt, quæ omnia tum jure tum more sunt æsti- manda. *Heider. p. 495.* Si æquales sunt mittens, & ad quem mittitur, utraque pars vel stare vel sedere debet. Majoris potentæ signum est, si quæ sola steterit. sedens enim honorabilior, quam astans dici- tur. *Bald. in l. 3. §. 3. C. ubi Sen. & claris.* Imperatoris Romani Lega- tus officium suum apud Turcam solus sedendo expedire solet. Et Caroli V. Legatus, cum non considerare jussus esset, pallio, quod habebat, substrato, insedit, & mandata sui Principis intrepidè expo- suit

fuit, mox confurgens pallium, quod subtraxerat, reliquit: interrogatus, cur id faceret, Cæsaris Legatum sellam sibi portare non solere, faceret ac falsè respondit. *Arum. de Com. c. 7. n. 92. Varssev. d. orat.* attamen hodiè S. Cæs. M. Legatum stando, mandata exponere docet *Reinking. lib. 1. cl. 2. c. 7. n. 43.*

§. 31. Conveniens autem, si plures adsint Legati, audientia & <sup>Sessio</sup> sessionis ordo cuilibet assignandus. Honorabilior quippe est, qui <sup>Ordo.</sup> primo loco sedet, *l. decern. 16. circ. fin. ibid. Gloss. C. de SS. Eccles. Hos* ordinum sessionisq; gradus Pontificia æquè ac Cæsarea jura esse observandos justè statuunt. *cap. ut debit. 59. de appell. cap. ex ore. de privileg. Item l. hon. §. gerend. l. ut gradatim. ff. de mun. & hon. & tot. r. C. ut dign. ord. serv.* Apud Polonos Legati tempore priores, priores quoque audiuntur. Consuetudo, si pares sint mittentes, non improbanda, odiosa, si impares. *Heider. d. l. Alexander, cum Legati plures ex toto ferè terrarum orbe confluxissent, secundum negotiorum, quæ ferebant, gravitatem audiendos putavit. Dionys. de gest. Alex. lib. 12.* Interim verò Legatis Imperatoris ~~regedpiau~~, primum locum deberi certum est. Inter Legatos Galli & Hispani de sessione in Concilio Tridentino, gravis orta fuit controversia, & adhuc sub judice lis est. *Tbuan. lib. 49. Hist.* In comitijs etiam Imperij de Principum & Legatorum sessionibus, plerumque plus est contentionis, quam deliberationis de salute Reip. moris tamen ibidem esse, ut præsentes Principes inferiores superiorum Legatis præferantur, testatur *Conr. Brun. lib. 5. c. 8.* quia in præsentè Principe majestas, in Legato tantum dignitas relucet aliena. *A. B. t. 25. §. wenn a ber. penult.* quamvis hæc præsessionis quæstio moderanda & parcius tractanda sit. Utilitas quippe Imperij & bonum publicum privatis contentionibus discordiaq; locali impediri non debet, *Arum. de Com. c. 7. n. 101.* præcipuumq; æstimatur fundamentum, & Constantis Principatus unum & inexpugnabile munimentum concordia. *Tbolof. lib. 23. c. 1. de Rep.* Huc spectasse videtur Ulricus Dux Wirtemberg. cum ad alios Principes diceret, collocate me post fornacem, dum modò id efficiamus, ad quod congregati sumus *D. Melander lib. 1. n. 259. in Jocofer.* neq; enim locus personam, sed persona locum ornat, ut magni cujusdam Principis Legatus in Comitijs 1598. dixisse fertur. *Arumæ d. l.*

C

§. 32.

*Audientia* § 32. Audientia ipsa benevolè, attentè, patienterq; indulgenda. Et barbara Indorum consuetudo, qui simul capillos & barbâ sibi pectere, si Legatos audirent, solebant. *Curt. lib. 8.* neq; satis decore Curius, qui ligneo catino canans Samnitû Legatis aures præbebat; licet illorum temporû simplicitas & frugalitas hominem excuset. *Valer. Max. lib. 1. c. 9.* Secretò quoque, non in mediâ concione; Legati audiendi, nam inhonorificum & minus consultum est, secreta magnorum Principum in publico theatro exponere *Arnis. lib. 2. de Rep. c. 6. sect. 3. n. 71.* Idq; exemplo Eumenis Asiæ Regis, qui bellum à Perse comparari Senatui nunciarat, quæ res tam secretò habita fuit, ut non ante sciri potuerit, quid hic, aut ille locutus esset, aut patres respondissent, quam captum Persen cognitum esset *Valer. Max. lib. 2. c. 3.* Neque facile exardescere, & in maledicta erumpere erga Legatos, ingrati quid proponentes, virum Principem decet. *Heider d. l.* Item Legatis præsertim plenipotentiarijs mandata instructionesq; extorquere facinus hostile reputatur. *Paschal. d. l. c. 59.* licet mandata interdum proferri debeant. ut 1. in rebus magni momenti. 2. si res siquidò sciri nequit, nisi inspectis mandatis. 3. In commissionibus. 4. Si Legatio odiosa, *Besold. diß. Disc. c. 7. n. 5.*

*Legati officium cū intromissus.*

§ 33. Legatus itaque ad audientiam intromissus; 1. probè meditata habeat omnia, quæ dicenda faciendavè sunt. 2. Viriliter munere suo fungatur, animoq; præsentis & intrepidò mandata mittentis exponat, tamen absque temeritate. 3. Vestis patriam referat, inquit *Scribanus p. 451. i. c.* in honorem suæ gentis habitu patrio sit indutus, non peregrino, quod adulationis & levitatis argumentum. Si tamen insidias metuat, & si aliter admitti nequeat, ut vestitum ementiatur licet. *Le Fayer. c. 10. sub fin.* Fecisse hoc Venetorum Legatus ad portam Ottomannicam dicitur *Kirch. l. 2. c. 4.* 4. Senaculum ingressus honorificè salutet & amicè compellet eos, quibuscum agendum, *Heider. hic 502.* & quidem more patrio, ne adulationem quandam affectare videatur *Vern. lib. 2. Pol. 1. 3. n. 6.* Eà de causâ Demagoras imminutæ Majestatis damnatus Athenis, quòd Regem Persiæ, non suæ urbis sed Persicæ gentis more salutasset. *Plutarch. in Themist.* Indeque Venetorum Legatus à Moscovitarum Tyranno jus æterni pilei, clavo trabali tempora transfixus, consec-

secutus est, *Le Fayer. d. l. c. 9. Bodin. de Rep. lib. 5. n. 619. §. Principis sui auctoritatem dignitatemq; tueatur, virtutem ejus ac prudentiam commendat, vitia vero alto premat silentio. Peccarunt hac in re Demetrii ad Lyfimachum Legati, Regis sui incontinentiam narrantes. Peccavit Bonus, qui facilem ac in iracundiam effusum Justinum Imperat. Bajano aperuit Scriban. d. l. p. 462. Inprimis caveat ne volutetur humi, ne contra suæ gentis morem provolvatur in genua, ne in sessionibus loco minori cedat, sed potius publicis à congressionibus abstineat, vel abortâ contentione discedat. Magius de Leg. fol. 69. Modum excessit, Legatus Moscovitarum, qui contra Imperij nationisq; suæ morem ac dignitatem, Pontifici Romano pedes exosculatus est. Joh. Lasis. de Rusf. & Moscov. Relig. Et Franciscus Dandalus, qui missus ad Clementem Pontificem ut Venetis infestiores placaret, catenam ferream collo gerens prandentis ad Pontificis pedes canis in morem se abjecit, & quadrupes effectus est. Egnat. lib. 6. s. 2. & ex eo Heider sst. Pol. 507. 6. Ser-mone utatur patrio. Hoc enim ut animi intrepidi & salvæ libertatis documentum, ita peregrinæ linguæ usus timiditatis & subjectionis, indicium esse videtur. Vernul l. 2. r. 7. n. 5. Cato Græcæ linguæ peritissimus, ne Athenis quidem Atticè, sed Latine loqui solitus est. Æmilius etiâ Paulus Perseo superato, convocatis Græciæ Principibus, Latine locutus: noluit certè, cû posset, Græcè loqui, ne Majestati Romanæ quidquâ detraxisse videretur. Scriban. d. l. p. 452. Periti tamen linguæ eorû, ad quos mittuntur, deligendi sunt. Credi enim nō potest, quanto adjumento Legato linguarum peritia sit, ne uni interpreti, fors non fido, & hostili pecuniâ circumvento Reip. suæ salutem credere cogatur. Et non rarò omnem dictionis elegantiam interpres devenustat, sententiarum robor negligit, vim dictionis enervat, proprietates non exprimit, seria emollit, exasperat mollia, humanitatem verborum rusticitate dedecorat; milleq; modis à verbis ac sententijs decedit. Carol. Paschal. in tr. de Leg. c. 44. Oratio ejus sit pura, elegans, & brevis, nuda tamen à coloribus & figuris. Dur. de Pasc. in aul. Pol. n. 48. Kirchn. l. 2. c. 3.*

§. 34. Mandata sua fideliter summâq; fide expediat Legatus, neq; latum digitum vel dextrorsum vel sinistrorsum abeat. Laudati sunt Romanorum Legati, qui Tarentum missi, iisdem, quibus ac-

Mandati  
expositio

ceperant, verbis mandata exposuerunt. *Liv. lib. 11. Valer. Max. lib. 3. c. 15.* Vilescit quippe mittentis auctoritas, si Legatus ejus mandatum excedit. Hancq; audaciã ægrè ferunt Principes, quæ & multis exitio fuit. *Vide Kirchn. lib. 2. c. 6* quin ea mandatorum omnium est natura, etiam inter privatos, ut eorum limites transgredi minimè liceat. *Paul. l. 5. ff. mandat.* Militarium quoque mandatorum ille rigor, ut, si non præcisè & ad amissim servata sint, etiam si res benè cesserit, nihilominus transgressionis pœnam trahant. *Modest. leg. 3. §. 15. ff. de remilit.* eadem severitas Legationum mandatis esse debet, quia mandatum est anima Legationis, à quo omnem vim accipit Legatus. *Besold. Disc. de Leg. c. 7. n. 2. Petr. Ærod. rer. Judic. tit. de leg. c. 5.* quod si excedit, aliud quid facere præsumitur, *d. l. 5. pr. ff. mandati. l. 11. §. 4. ff. de Inst. action* Veruntamen sicubi necessitas ingrueret inevitabilis, ita, ut sine manifestâ & ingenti Reip. calamitate mandata servari nequeant, tum aut scribet ad eos, à quibus missus, aut repedabit domam quâcunq; viâ poterit: aut si neutrum liceat, è duobus malis minimum eliget, suisq; à mandatis discedet. *Magius lib. 1. c. 2. Schonborn. lib. 3. c. 29. Liebenth. coll. Pol. exerc. 11. q. 9.* Mutatis enim rebus, consilia in Legato mutanda sunt, cum res moram non patitur, & principis imperium expectari non potest. *Scriban. c. 2. 6. p. 414.* quoties verò aliud mandatum impetrare licet, proprio ausu contravenire non debet. *Paschal. c. 21. Hotom. c. 2. n. 15. Brun. l. 1. c. 5. & 9. Marnix. Resp. Pol. sect. 2. res. 8.*

*Responsio.* §. 35. In respondendo placet illud Theodorici Gothorum Regis, qui plurima audivit à Legatis, pauca verò, eaq; aptè & cong. uè respondit, *ex Sidon. ep. ad Agric. Kirchn. lib. 2. c. 5.* Nam brevitatis quasi propria Regum & Principum in loquendo virtus, quam imperatoriam appellat *Tacitus lib. 17. Anal.* Certum verò tempus respondendi à Legato præfigi non potest, cū ex liberâ potestatis arbitrio dependeat *Kirchn. d. l.* suoq; lubitu tempestivis consilijs sua negotia moderari Principi liceat. Si tamen longiore mora trahatur, responsionis maturitatem flagitare ac urgere, præfinire autem & intra certam dierum metam coarctare non potest, *Kirchn. d. l.* Cautus sit Legatus ne responsis ambiguis & fallacibus cothurnis deludatur. Nullum enim responsum, & quod à postulatis alienum eodem loco habetur.

habetur *l. ii. §. 7. ff. de interrog. in iud. fac. l. 27. ff. de reb. dub. l. 3. ff. eod.* Ita lusi Carthaginensium Legati, qui, cum Romanos rogatum venissent, ut urbem suam salvam & incolumen servarent, civitatem salvam fore responso accepto, ambiguo civitatis vocabulo decepti sunt, fallaciamq; postea cū urbis interitu intellexerunt. *Appian. in Lyb. Bodin. de Rep.* Iisdem etiam artibus barbaros in Moscoviā uti solere affirmat *Varsev. De Leg.* quod aliud nempe promittere aliud mittere soleant, proq; veris & conceptis faderum formulis falsas furtim supponant, *Kirch. d. l.* Responsi autem informatio ea congrua & conveniens est, quæ antecedentis postulati modo tanquam mensura mensurato congruit. Unde fit, ut non nunquam ferocius postulanti ferocius respondeamus. Ita Tarentin. Legatorum superba postulata superbiore responso compensata sunt, *Liv. lib. 9.* Cautus quoq; sit Legatus, ut scriptum exemplar in gravioribus rerum momenti dati responsi postulet. *Brun. lib. 5. c. 22.* Tutius enim est, aliorum verba, ut prolata fuerint, quam sua, quæ captari & mutari facile possunt, renuncianda referre, *Brun. d. l.*

§. 36. Legati tum divino tum gentium jure inviolabiles sunt, *Securitas l. ult. ff. de Leg.* non ipsi tantum, sed & omnis eorum comitatus *Alb. Gentil. lib. 2. c. 15.* Unde qui Legatos violarunt semper & à Deo *Legatis præstan. d. l.* & hominibus acerrimè puniti ac nonnunquam gravissima inde bella exorta sunt. Athenienses & Spartani Persarum Legatos è medio sustulerunt, neq; multò post Spartani gravi pestilentia pressi, Athenæ verò funditus everse sunt *Herod. lib. 7.* Sybaritæ triginta Legatos Crotoniatarum interfecerunt, ferisq; laniandos objecerunt; visum tum fuit in foro spectrum choleram vomens, & in sacello Junonis fons sanguinis erupit. Tandem omnes à Crotoniatis radicitus deleti sunt. *Athens. lib. 12. c. 6.* Romæ iis, quorum Legatos violassent, tradebantur, eamq; pœnam Q. Mutius legibus, civilibus inseruit. *d. l. ff. de Leg.* Ita L. Minutius & L. Manlius, quod Legatos Carthaginensium pulsassent, Carthaginem advecti, *Val. Max. lib. 6. c. 6.* Cato Cæsarem ipsum Germanis tradendum censuit, quod eorum Legatis violantas intulisset manus, *Plut. in Cæsar.* Corinthum quoq; Romani ob Legatos malè habitos



solo æquarunt, eandemq; ob causam Tarentum in servitutem redegerunt. *Valer. lib. 2. c. 1. Liv. lib. 4. decad. 3.* Jure Canonico exterminantur à Christianâ Rep. c. *si quis. 2. dist. 94.* Ulpianus eos lege Juliâ teneri putat. *l. 7. ff. ad l. Jul. de vi publ.*

§. 37. Securitas alia specialis & primaria, quæ certis personis non sine cura & singulari observantia debetur. Secundaria alia & communis, omnibus quacumq; iter facientibus, modo ne sibi maleficii malum attrahant, præstanda. *Heider. pag. 510.* Illa, specialis sc. Legatorum propria est; non tamen pertinet ad exploratores proditoresq; , quorum securitas non tam juris, quam clementiæ est. Alia item Legatorum ratio est apud excipientes, & per quorum regiones transeunt, ac in iis hospitantur. Illi securitatem propriam & specialem iis debent; hi non nisi communem incolumitatem. Jam itaq; si Legati vel palam vel occultè per regiones nostras ad hostes iter habent, cum iis belli societatem contra nos inituri, illos si in vincula conjiciamus, aut etiâ capite plectamus non est, quod violati juris gentium insimulari possimus. Jure Macedones primum Legatione mentiti, mox verò cogniti, capti Româq; deducti fuere. *Liv. lib. 23.* Jure Fregosus & Rinco, quia Galliæ Regis Legati contra Carolum V. Imp. ad ejus hostem Turcam profecturi intercepti, atq; occisi sunt *Sceidan. lib. 14.* Nam hostilia molientes, si paria passi fuerint, quid conquerentur? *Ayam. Vol. 1. Jur. Publ. disc. 14.* Neq; à Christiano Legati dici poterunt, qui contra Imp. Romanum, omnium, quæ inter Christianos florent, regnorum ac dominationum caput, cum jurato Christiani nominis hoste fædus inire, bellumq; conflare cogitat, *Kirchn. lib. 1. c. 8.* Speculatores & horum similes si ignominiosè ad suos remittantur, non habent, quod conqueri possint, *Besold. d. 1. c. 5 n. 21.*

§. 38. Sin verò aliquantò liberiores in loquendo Legati sint, non statim in vincula conjiciendi, atq; puniendi sunt, *Rasch. disc. de Leg. tb. 96.* Orator enim qualiacumq; à Principe se delegante accipit, profert, quæ si minus proba & recta videntur, non ipse propterea jure est incusandus, sed qui miserit fortè culpandus, inquit Legatus Justiniani apud *Procop. lib. 1. de bello Goth.* Laudanda Venetorum

rum

rū moderatio, qui Gallici Caduceatoris maledicta nō solum æquis trilerunt animis, sed etiam muneribus oneratū dimiserunt. *Guliciard. l. 7.* Laudanda Sigismundi Imperatoris humanitas, qui Legatum Polenorum, à quo audire coactus ea fuerat, quæ poenâ capitis luenda Primates judicarent, incolumem abire passus est. Abominanda verò Antonij in Thyrexum ab Augusto missum, *Plutarch. in Anton.* Teuce Illyriorum Reginæ in Romanorum Legatum. *Bonfin. l. 6. decad. 1.* Stephani Wallachiæ Palatini in Tartarorum Legatos belluina crudelitas. *Crom. lib. 27.* Discant tamen linguam suam frenare Legati, ne exemplo suo probent illud Æsopi: Lingua optimum, lingua pessimum *Max. Palmid. in vit. Æsop.*

§. 39. Legatis eorum, qui nostras violârunt, ne quicquã securitatem præstare tenemur. Nam fidem frangenti fides nulla servanda est. *c. frustra. 35. de R. J. in 6.* Neq; par est ex eo jure quenquam fructum consequi, quod visus est, ipse impugnare, *c. Ex eo. 38. de R. J. c. quia frustra. 14. de usur.* dolusq; dolo compensatur & eliditur. *l. fin. 5. sed et si. 3. ff. de eo per. quem fact. d. l. 36. ff. dol. l. si ambo. ff. de compens.* Sic ubi igitur nostri Legati capti sunt, eorum quoq; Legati capiendi. quod enim quisq; juris in alterum statuerit, æquum est, ut ipse eodem jure utatur, *Rubr. Et t. f. quod quinq;.* Factum hoc à Belisario, qui Gothorum Legatos abitu prohibuit, donec Legatos Justiniani Imp. dmitterent. *Procop. lib. 2. de bello Goth.* Factum à Maximiliano II. qui Stephanum Bathorium Transylvaniæ Principem detinuit, cum suos in Poloniâ Legatos periclitari audivisset. *Varsev. de Leg.* Quod si verò, dum apud nos Legatus est, mittens insigni nos afficiat clade, fædusq; nobiscum inittum, frangat, si id per Legatum non stat, ejusve is causa non est, non violandus. Pessimè Amurathes Turcarum Tyrannus, qui Rudolphi Imp. Legatum cum in Croatiâ malè pugnatum à suis accepisset, in vincula coniecit, squalore catceris enecuit, & ejus omnem committatum ad triremes condemnavit. *Recess. Imp. Ratibon. 1594.*

§. 40. Delinquens in Principem, ad quem missus Legatus, ab eodem etiam puniri debet. Nam privilegium suum meretur amittere, qui concessâ abutitur potestate, *c. ubi. dist. 74.* Et delictum dat jurisdictionem illi judici, qui alioquin non erat ipsius iudex. *c. licet*

Legati eorum qui nostros violârunt, an violandi?

Legatus delinquens an puniendus?

c. licet ratione. 20. de foro competent. ubi gloß. & DD. Gail. de pi-  
gnor. obs. 3. n. 11. Mathias Steph. lib. 1. de jurisd. c. 30. n. 26. forumq;  
quis in eo loco, ubi deliquit, sortitur, l. 1. C. ubi senat. vel clariss.  
ubi additur ratio, quod omnem dignitatem excludat reatus  
adeoq; delictum non excusetur dignitate, sed aggravetur. l. 8.  
C. de episc. & Cler. Atq; quantò quis altiùs in sublime evedtus, si  
probè se gerat, tantò rursus gravioribus pænis percussitur, si quid  
contra leges deliquerit. In hanc sententiam editum est scriptum.  
Electoris Saxon. Johannis Friderici contra Henricum Ducem  
Brunsvicensem. anno 1539. Haben aber solche Legaten in  
zeit ihrer Legation etwas verwircket / beeriegliche sachen  
gebraucht / oder gehandelt / so hat man sie ohn unterscheid  
angegriffen / gefenglich angehalten / ihre brieffe gebrochen /  
vnd zu zeiten gestrafft. Arum. ad. A. B. disc. 1. th 21.

Munera  
an accipi-  
enda?

§. 41. Munera non accipiat Legatus i. si malo fine data. i. e.  
ad corrupendum animum. 2. Nec ab hostibus & hominibus  
improbis, nam ἐχθρῶν ἀδωρα δῶρα inquit Sophoc. in Ajax. Maffi-  
goph. & mali viri munera nihil utilitatis habent Eurip. in Medea.  
vide Erasmm. in adag. 3. si aliquid probri, sarcasmi, ignominia, &  
scommatis habent. Nam multa, licet honestè oblata, honestè  
accipi non possunt. l. 1. §. 2. & seq. ff. de cond. ob turp. caus. 4. An-  
te rei confectionem non facile sibi dari patiatur. 5. Pluris deniq;  
faciat honorem, quam præmia & pecunias. Besold. diff. de Leg. e. 6.  
n. 16. Sin verò bono animo & fine bono dantur, h. e. si benevo-  
lentia & honoris causa offeruntur, si post rei confectionem, non  
abnuenda. Dubitant nonnulli, an munera, quæ dantur, mitten-  
tium sint an Legatorum? Moscöuitarum Princeps olim omnia  
munera Legatis adimere solebat, sibiq; vendicare. Jov. 11. Jeon. Bas.  
Romanorum Legati Q. Fabius Gurges, Cajus Numerius, Fabius  
Pictor, & Q. Ugolinus munera, quæ à Tolomæo acceperant, in  
ærarium detulerunt, de publico nihil cuiquam præter laudem bene  
administrati officij accedere judicantes, Val. Max. lib. 4. c. 3. Dur. de  
Pasc. in aul. Pol. n. 53. Respondeo: munera Legati cedunt com-  
modo. gl. in l. 64. s. item. ubi Bart. n. 3. solut. matr. gl. in l. 46. §.  
procurator. de procur. Cyn. in l. manifestiss. §. 4. c. de furtis. Ex quib.

We-

*Wesemb. hic. nisi sint ejus pretij & raritatis, ut dignitatem Legati transcendere, & non nisi Principi convenire videantur. Kirchn. lib. 2. c. 9. Dur. de Pafe. n. 52.*

§. 42. Responso accepto absq; morâ domum cogitet Legatus, *Dimissio* nec vel locorum delictis & illecebris se detineri patiat. *Heider. h. l. &* Sit illi patriæ fumus alieno igne luculentior. Non tamen abeat, nisi *Reditio.* prius creditoribus satis fecerit. Excipientes autem honorificè eum dimittant; Securitas quippe veniendi, includit securitarem abeundi. *l. 3. C. de Navicul. l. 4. C. de comm. Guil. de Cun. in tract. de securitate.* Iniqua vox Pontificis, licet jura omnia in pectoris scrinio se habere jactitet. *c. licet. 1. de const. Sext. Leonis X,* qui Paulum Bajanum contra fidem datam capite mulctabat, sub veniendi securitate, recedendi securitatem non comprehendit dicens: *Guicciard. lib. 15.* quamvis aliter amicorum aliter hostium Legati dimitti debeant, his satis est, si tutò ire & redire liceat, *arg. l. fin. ff. de Leg. Cuj. 11. obs. 5.* Dimissus viâ rectâ & consuetâ ad suos se recipiat, nisi summa necessitas aliud flagitet. *Fr. le Fayer. lib. 10. c. 12.* Duces abeunti addere, comites & custodes itineris usq; ad imperij fines magnificum est, & valdè honorificum. Sic Romani Carthaginensium Legatos remisère. *Liv. lib. 10.*

§. 43. Domum redux, quæ publico nomine egit, vidit, audi- *Renunciatio;* vitq;, nunciet. Renunciatio autem illa, est vel Primaria: quâ bo- *rio.* nâ fide & authenticâ in formâ cum subscriptione, si fieri potest, ejus ad quem missus, ea, quæ ad Legationem propriè spectant, referre tenetur. *Dn. Werdenbag. lib. 3. Pol. c. 7.* Vel Secundaria: quâ reliqua citra principale negotium audita, & visa mittenti usui futura Legatus commemoret. Videlicet: de formâ Reip. de personâ, & qualitibus Principis & consiliariorum, incolarum moribus, legibus, urbibus, opibus, propugnaculis, & sexcentis aliis. *Heider. h. l.* Præ cæteris Venetos circa hanc rem curiosos esse testatur *Besold. d. l. c. 7. n. 11.* In primis & rationes sumptuum exhibeat, pœnâ dignus, si vel sordidâ parsimoniâ, vel profusione nimîâ peccatum sit. *Cour. Brun. lib. ult. c. 22.*

§. 44. Quamdiu munere suo fungitur Legatus, in jus vocari *Privilegi-* non potest. *l. 2. §. 4. ff. de jud. l. 8. §. ult. h. t.* Intra biennium aut *gia,*

D


tri.

triennium ad alia munia & negotia publica non compelli. l. 7. is.  
fn. & l. 8. ff. b. t. nec capi pro repressaliis. Bart. in l. siquid pr. ff.  
b. t. Cöler. de Process. execut. part. 2. c. 3. n. 186. & seqq. Et si diutius  
abest, non tamen amittit jus civitatis, testamenti faciendi, legan-  
di. &c. Besold. c. 6. n. 1. 2. Exquisiti honores illi re bene gestâ exhi-  
bendi. Romæ & Athenis præconia, coronæ sacra ex oleâ, canæ  
publicæ datæ. Item in Senatu locus honoratior, munera splendida  
& honorifica delata. Alb. Gent. lib. 2. c. 2. Impendia Reip. causâ  
facta Legato restituenda sunt. Kirchn. lib. 2. c. 2. quin & damna  
quæ passus est. l. 2. §. fn. ff. b. t. & ea quæ ad recuperandam sani-  
tatem impendit Bart. in l. huius qui. §. quam diu. ff. ex quibus causis  
maj. Si deniq; moriantur ante reditum in patriam, sumptus, qui  
dati abituro, ut & honoraria publicè constituta, non restitu-  
untur, sed ad hæredes transeunt l. 10. §. 1. ff. de Leg.

Alber. Gent. lib. 2. c. 22. Franc. le Fayer.

c. 2. sub fin.

## SOLIDEO GLORIA,



In honorem Dn. Respondentis

**C**ernere Legatum cupis? hac lege lemmata: veri  
Legati leges, & tibi jura dabunt.

Scrib:

PRÆSES.



**N**on aquilis fas est teneros educere fœtus  
Ante fidem solis judiciumque poli.

Qui

Qui bene sustinuit conversus ad aethera flammæ,  
Ille dehinc merito dignus habetur ali.  
Iccirco tetrici nutritur fulminis heres  
Gesturus læso tela trifulca Jovi.  
Judice me peccant hodie persæpe parentes,  
Quos nimium præceps gloria prolis agit.  
Implumes properant natos emittere ludis,  
Ante magistrorum judicium æque fidem.  
Postea tentatur nullo fundamine moles,  
Sed quam mox facilis dejicit aura Noti.  
Præcipiti ruitur nimis ad sublimia saltu.  
Quod festinatur, non bene durat opus.  
Quem privata prius Schola non sat finxit alum-  
Vix Academiæ moribus aptus erit. (num,  
Tu non ante sagax Academica castra petisti,  
Quàm tibi judicij firmior ala fuit.  
KIRCHMANNO primùm rectore fideliter artes  
(At quanto!) FRANCKI, te didicisse juvat.  
Juraras pariter MEIERI in verba magistri,  
Cujus ab ore tuo sat mihi nota fides.  
Exhinc BOTSACCO MOCHINGERIQ; loquelæ  
Ingenij debes pignora multa tui.  
Nunc in Athenæo feliciter ardua tractas,  
Abstrusasque Themis Diva recludit opes,  
Maeste tua virtute, caput sublimius effert,  
Et vitæ studeas præmia ferre tuæ.

Cen

Ceu mihi doctrinæ spondent præfagia, cernam  
Continuare tuum pulpita nostra decus.

*deprop.*

And. Tscherningius,  
P. L. Cæs.




AD DN. RESPONDENT.

Commensalem & popularem suum  
dilectum.


**Q**ui de Pieriis hortis decerpere tentat  
*A*ssiduè flores, is stigmata inurere fronti  
*N*ulla sui potis est hostis majora maligni.  
*S*cilicet id vigili properas studio, atq; labore  
*P*ergavo monstras, firmâ dum fronte cathedram  
*S*candis. Sic pergas, O præstantissime FRANCE,  
*E*t videas latus, rumpantur ut ilia Momi,  
*D*um te scandentem Parnassi culmina spectant.


Matthias Schreiberi  
Lubecensis.











d. l. c. 9. Bodin. de Rep. lib. 5. n. 619. §. Principi-  
gnitatemq; tuetur, virtutem ejus ac pruden-  
tia vero alto premat silentio. Peccarunt hac  
Lysimachum Legati, Regis sui incontinentiam  
ut Bonus, qui facilem ac in iracundiam effusum  
Bajano aperuit *Scriban. d. l. p. 462.* Inprimis  
humi, ne contra suæ gentis morem provolvat  
cessionibus loco minori cedat, sed potius publi-  
s abstineat, vel abortâ contentione discedat.  
69. Modum excessit, Legatus Moscovitarum,  
nationisq; suæ morem ac dignitatem, Pon-  
exofcularus est. *Joh. Lassi. de Rus. & Moscov.*  
Dandalus, qui missus ad Clementem Pontifi-  
torem placaret, catenam ferream collo gerens  
ficus pedes canis in morem se abjecit, & qua-  
*gnat. lib. 6. c. 2. & ex eo Heider syst. Pol. 507. 6. Ser-*  
Hoc enim ut animi intrepidi & salvæ libertatis  
regrinæ linguæ usus timiditatis & subjectionis  
*Vernul l. 2. r. 7. n. 5.* Cato Græcæ linguæ peritiss-  
idem Atticè, sed Latinè loqui solitus est. Æmi-  
superato, convocatis Græciæ Principibus, Lati-  
tè, cū posset, Græcè loqui, ne Majestati Romanæ  
ideretur. *Scriban. d. l. p. 452.* Periti tamen linguæ  
atur, deligendi sunt. Credi enim nō potest, quan-  
o linguarum peritia sit, ne uni interpreti, fors  
ecuniâ circumvento Reip. suæ salutem crede-  
on rarò omnem dictionis elegantiam interpre-  
arum roborâ negligit, vim dictionis enervat,  
primit, serâ emollit, exasperat mollia, huma-  
usticitate dedecorat; milleq; modis à verbis ac  
*arol. Paschal. in tr. de Leg. c. 44.* Oratio ejus sit  
evis, nuda tamen à coloribus & figuris. *Dur. de*  
*48. Kirchn. l. 2. c. 3.*  
a sua fideliter summâq; fide expediat Legatus,  
vel dextrorsum vel sinistrorsum abeat. Laudati  
egati, qui Tarentum missi, iisdem, quibus ac-  
C 2 cepe;

Mandato  
expesitio